

affirmat Commentarios, quos vidisse se ait *Joh. Eckius* in Epistola ad Episcopum *Eichstad.* citata *Sec. II. Conspect. Univ. Vien. p. 88. carnosissimos.* Interim hoc Codice nonnisi *Lectura* in I. ut jam diximus, continetur, et a *fol. 95.* in III. et demum a *fol. 156. p. 2.* in IV. Prior, ut pariter diximus, ἀκεφαλός nunc ab ingressu *Distinct. X.* orditur his verbis: 2^o *per modum remocionis dubij magis explanatur &c.* Alterius initium est: *Cum venit igitur plenitudo. Iste est tercius liber in quo Magister determinat de misterio incarnationis et passionis &c.* Ultimae: *Samaritanus vulnerato appropinquans. Postquam in precedentibus libris determinavit de rebus, scilicet in primo de rebus quibus fruentum est &c.* Si carnositas *Eckii* de mole intelligenda sit, alia viderit, quam quidem *Lecturas* praesentes, quas cum Aliorum *Commentariis* in *Petr. Lombardum* hoc *Vol.* relatis comparatas potius *Stricturas* dixeris.

DXXVII.

U. 124 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 253. 4. currente calamo exaratus est juxta Titulum Thecae praefixum: *Lectura Primi Sententiarum M. Petri de Pulka*, sic dicti ab Oppido patrio, alio nomine *Tzach*, Academici nostri in his *Commentariis* saepe memorati. *Lectura* ipsa orditur *fol. 17.* Circa primam *Distinctionem* queritur primo. *Vtrum hoc genus actus libere voluntatis &c.*

Quae praecedunt *Εισαγωγικα* sunt, et quidem capite truncata, in quibus citatur *Gregorius Ariminens.* O. Erem. S. *Aug.* Prior generalis apud nos a. 1358. defunctus. Videntur etiam quaedam deesse in calce. Codicem ex una parte vestit interior membrana fragmentum Precum e quodam *Judaeorum* *קדושה* seu *Rituale* eleganter scripto exhibens.

DXXVIII. Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 136

Folior. 369. f. max. per duas columnas luculente exaratus, rubricis, et praevio Monachi ad librum confidentis iconismo decoratus, multum vero fitu passus, et, ut in fronte, et *fol. 11.* praefert, olim emtus, Collegioque Ducali legatus a *Sigismundo Halbemer de Stranyug* Plebano in *Schöngraben* continet *Lecturam in Librum IV. Sententiar. Petri Lombardi* antecedente proluxa *Tabula*, ad cujus calcem annus 1431. signatus est. Prooemium inquit: *In Nomine patris &c. Cum desiderarem vestris caritatibus in aliquo deseruire et id exposuissem venerabilibus patribus Domino nostro abbati et Domino priori visum est eis expedire, ut legam quartum Sententiarum &c.* Repetit mox, *ad Religiosos qui se vite monastice manciparunt*, se locuturum. Noli tamen inde ipsum quoque Monachum habere. *Nicolaus de Dunkspübl* est, Academiae *Vindob.* celeberrimus Theologus, quem *Nicolaus Seyringerus de Matzen* disciplinae monasticae